

omnium rerum suarum jacturam faciant. Omnino autem rustici plura, quam ceteri cives, nec pro rata parte tributa persolvunt. Haud alia igitur inter tributa rusticorum et civium intercedit ratio, quam, ut hoc exemplo utar, si quis rusticus, qui trecenta jugera, natura sua fecundissima, possidet, ne tantum quidem vectigalium pendere debeat, quantum, qui vix decem sterilia. Mercatores enimvero tributa pendunt ex mercium pondere aut pretio aestimata, et, qui alios quaestus exercent, quanto plus hinc lucri faciunt, tanto plura persolvunt vectigalia. Quidni igitur rustici eodem modo i. e. pro agrorum, quos possident, magnitudine (neque enim hac in causa diversa eorum natura in considerationem vocanda est,) tributa conferre jubentur?

Porro aliud impedimentum est in bonorum communitate positum. Olim enim, cum, quo tutius homines ruri viverent, non solum vicorum, aedificia, sed etiam ipsos vicos angustiori ordine conderent, illud peraeque institutum est, ut eorum incolae agros et propinquos et longinquos et remotissimos inter se partirentur. Sed hodie utrimque magnum profecto incommodum nascitur. Ut ne commemorem quidem, tam anguste constructa singularum villarum aedificia cohortalia, nec ab incendio satis tuta esse, nec ad exercendum quaestum rusticum satis commoda; aedium et agrorum longinquitas agriculturae progressus, nullo negante tantum impedit, ut mirum sit, cur in civitatibus, in quibus non amplius opus est, ut se adversus hostes rustici defendant, et ne concessum quidem, hoc malum nondum sublatum sit omnibus. Mirum est etiam, quod singularum rusticorum studia communi agrorum compascuorum possessione atque totius quaestus profectus rotatione, quam dicunt, non nisi paucis in locis utili, etiam nunc tardentur. Quandoquidem enim secundum istam rotationem frumenta cujusque generis in vicinis agris non pro singulorum arbitrio, sed ex communi omnium consensu per singula quaeque triennia seruntur; nec pabulorum sationem interponere licet, neque omnino eo modo agros colere, quocum cuique maximum emolumentum conjunctum esse videatur.